

le frigidus & paulò largiori copiâ assumatur. Quemadmodum similis ejusmodi vis ab haustu iterato vaccino vel largo frigido fontium salubrium (qui subinde in locis quibusdam oriuntur, vel tales solum existimantur) emergit & redundat in homines, atque sic sæpe morbi chronici tolluntur. Id pariter observamus agyrtae sæpe efficere, qui caballinâ dosi purgantium ac vomitoriorum non nunquam morbum & animam quasi simul è corpore exturbant. Sed artis præcepta & conscientia medici legitimi jubent rationem habere subjecti atque variarum circumstantiarum; ne in fine tandem temerarii ejusmodi ausus medici ostendant cujus toni fuerit benè cœpta, sed malè finita curatio. Præterea an Polypodium vim peculiarem purgandi atque extenuandi corpora possideat, affirmare non valemus, id autem contra *Dioscoridum* negat *Jo. Munardes in Epist. med. p. m. 541.*

Existunt quoque nonnulli medici qui vomitoria in obesitatis curatione locum invenire existimant; verùm cum eadem non magnum usum conferre videantur, operosè illa laudare vel purgantibus aliisve evacuantibus medicamentis præferre neutiquam audemus; Interim cui placet autorum quorundam sententias de istorum usu investigare, adeat *Mercurialis l. 4. p. 35.* Præterea *Hippocr. 4. Aph. 7.* docet carnositas non ita conferre vomitoria; cum quo etiam consentit *Bernh. Swalvius in querel. ventric. p. 193.*

Si cuiquam arrident clysteres etiam svadere ac præscribere obesis, ex paulò post recensendis & specificè magis ab autoribus commendatis, aut tandem ex incidentibus aliis variis & laxantibus atque purgantibus iidem facilè eligi possunt. Annectimus autem usui enematum monitum *Ludov. Septalii in Animadvers. l. 3. §. 23.* qui non multum calentes clysteres vult injici, cum habeant obesi intestina sensu maximè prædita, & aliàs subito iterum expellantur sine utilitate.

Seqvuntur jam sudorifera, quæ pariter non levi vi dissipandi pinguedinem prædita sunt; mediocria tamen nec nimis alkalia vel acria aut aromatica, sed potius neutra salia & acidiuscula in usum vocanda censerem. Attendendum.